

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1859

Auteur(s) : Grégoire IX [pape]

Bénéficiaire(s) : Guillaume, Conches-en-Ouche, Saint-Pierre de Castillon ou Châtillon (abbaye, abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1234, 7 novembre

Lieu d'émission : Pérouse

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Grégoire [IX] confirme les biens du monastère Saint-Pierre de Châtillon.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 228 (extrait).

b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Ebroicensis, n° XIX, col. 144-148.

Texte établi d'après b

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Willelmo abbati monasterii sancti Petri de Castell. ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancti Petri de Castellione in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus ; imprimis siquidem statuente, ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur : præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vetrisque successoribus ei illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis ; villam quæ dicitur Castellion, ab omnibus calumniis et querelis absolutam et liberam, cum molendinis de Stagno, et cum omni territorio ad eandem villam pertinente, et teloneo ipsius villæ et totius territorii cum banleuga libera, et cum omnibus redditibus et decimis totius parochiæ, et ecclesiam sancti Audoëni de Conchis, et capellas sanctæ Fidis, et sancti Stephani et beatæ Mariæ de Valle, cum decimis et offerendis ; subjectionem quoque omnium hermitagiorum quæ sunt in foresta de Conchis, cum decimis eorumdem, et decimas omnium terrarum totius prædictæ forestæ, cum patronatu ecclesiarum ejusdem, et omnium aliarum silvarum domini de Thoënio, et decimas omnium cendrariorum et caronum, et pasnagiorum in omnibus silvis de feudo domini de Thoënio ; terram ad duas carrucas apud Landam, quæ dicitur Sebecuria ; decimas omnium molendinorum domini de Thoënio per totam terram suam ; decimas omnium denariorum suorum, et de omnibus redditibus suis in Conchis, in Ferrara, in Achyneo, in Thoënio, in Heuguevilla, et in omnibus aliis villis suis,

eamdem libertatem, etiam et dominationem, et consuetudinem in omnibus hominibus ecclesie vestrae, in omni terra vestra, per totam terram suam, quam libertatem, quam dominationem et consuetudinem habetis in Castellione, foedum quod dicitur domini Willelmi de Valeil in dominio ; foedum quoddam Gerelini de Fraxino ; ecclesiam et decimam ejusdem villae, et duos francos homines in dominio ; terram de Vernay ad quinque carrucas ; ecclesiam de Houssemaigne cum decimis ; decimam totius terrae domini de Vernano apud Bussum et apud Nagel : in bosco Baillato decimam terrae domini ; totum Valeil in dominio ; decimam omnium hominum Gerelini de bosco Hugonis : in Aureis-vallibus dimidiam decimam villae ; decimam culturarum domini in villa quae dicitur Nogent ; omnem decimam terrae Radulphi de Nuisement, et hospitem unum cum terra sua ; medietatem villae quae dicitur Baillol, et ecclesiam cum cimeterio libero ; decimam ejusdem villae, tam vini quam bladi, et terram aliquantulam ad colendum, et omnem decimam et omnem libertatem ejusdem villae ; decimam de feudo Archenohodi de Moncellis ; decimam quamdam in villa quae dicitur Caengium : apud Bonam-villam duos hospites cum ortis suis ; ecclesiam de Gregnosevilla cum decima ; decimam duorum molendinorum in eadem villa ; duas garbas decimae de Buré, cum hospite uno ; ecclesiam de Louverciaco, et decimam ejusdem villae ; feudum quoddam Rogerii filii Berte, liberum et quietum ; decimam de una carruca cum hospite uno, et medietatem ejusdem villae ; duas garbas decimae in villa quae dicitur Canteleu ; duas garbas decimae de Verz, et decimam omnis generis ligni ipsius terrae : in Putenaia ecclesiam, decimam et terram quamdam Rogeri ; capellam in Wavilla, duos homines, et duas mansuras, et decimas foedi Geroldi Vastinel : in Bervilla unum hospitem ; in Coarvilla decimam quamdam ; in Oissel quamdam decimam ; in Wivilla medietatem decimae, et feudum Wimundi ; decimam omnium molendinorum de Hundevilla ; ecclesiam de Aquineyo, cum offerendis et decimis de annua, et de vino, et de piscibus aquae quae dicitur Auctura, et gordum unum de sancta Cecilia ; feudum quondam Claverii et Foardi, et mansuras plures in eadem villa, et decimam cujusdam virgulti ; decimas de duabus carrucis in villa quae dicitur Fontanis, et de vino, de silva, de pratis, et duas garbas decimae, ibidem de feudo Alexandri Auteil ; in eadem villa molendinum unum, et feudum quondam Lancelini presbyteri, et Andelini nutricii cum plantato, et decimam redditus denariorum et molendinorum totius domini Rogerii de Thoënio, tam plani quam nemoris sancti Vigoris, et omnem decimam de Roncia ; ecclesiam de Theonio cum offerendis et decimis de annonae, cum piscibus et pratis, et unum gordum cum hospite uno ; feudum quondam Richerii et hospites, et vineas plures in eadem villa ; ecclesiam et decimas sancti Ursini, de vino et de omnibus ad eam pertinentibus : in Albania quamdam partem decimae segetum, et quartam partem oblationum in altari, et decimam molendini de Teuray, quod situm est secus forestam de Conchis. Concessas vobis insuper a regibus omnem libertatem et quietanciam rerum vestrarum, propriorum famulorum de omni passagio et de omni consuetudine apud portum qui vocatur Dieppa ; Lesevee etiam omnium hominum vestrorum ibidem morantium, et si iidem homines vestri naves habuerint in mari piscatorias, quidquid ad regem de illis navibus pertinet ; in Warengervilla ecclesiam et decimam, cum feudo quondam Fermani presbyteri, et decimam de uno molendino, et tertiam partem de terra et de hospitibus quos habebat fundator monasterii vestri in villa quae vocatur Dieppa, et homines qui pertinent ad eleemosynam ecclesiae vestrae sancti Walerici, et terram de Briveria et Walichervilla, decimam de una carruca, cum hospite uno : apud Breitevillam unum hospitem, et decimam de villa quae vulgo dicitur Cravençon, duas garbas decimae de Houlebet, de lino, de lana, et de omnibus de quibus datur decima, et unam acram terrae ad grangiam faciendam ; in Rothomago unum hospitem et tertiam partem de pratis domini de Thoënio ; in Mortuo-mari decimam de duabus carrucis, et de duobus molendinis, et de praepositura ejusdem villae, et unum hospitem ; in Heuguevilla ecclesiam et decimam, et unum hospitem ; in Villarvilla ecclesiam et decimam, et unum hospitem : apud Harachavillam ecclesiam cum terra ejusdem ecclesiae, et omnibus ad eam pertinentibus, cum omni decima et territorio ejusdem villae, libere et absolute ; capellam sancti Stephani, cum territorio, et hospitibus, et terris, et ceteris pertinentiis suis ; in villa quae dicitur Astalmo, duos homines, cum terris et decimis, et ceteris pertinentiis suis : in episcopatu Lexoviensi, in Villarvilla, juxta pontem Archenfredi, ecclesiam et decimam, cum ceteris pertinentiis suis ; terram quamdam de feudo Ricardi de Witot, et feudum quondam Osvi de Monasterio, et ecclesiam sanctae Mariae de Huncii. In Anglia, in episcopatu Herefordensi, unum manerium quod vocatur Lena, ecclesiam ejusdem villae in dominio, et totam decimam ejusdem villae, et decimas totius domini domini de Thoënio, tam de planis quam de boschis, in omnibus maneriis suis, scilicet decimam de Chabenone, cum hospite uno ; decimam domini de Estoche et de Hida, cum hospite uno ; in Bromesberga decimam de dominio ; decimam etiam firme denariorum et omnium proventuum de terra quae vocatur Bur ; decimam de dominio de Colmient, et quartam partem de durra, aut quinquaginta solidos, si magis vobis placuerit. In episcopatu Wigornensi, in villa quae dicitur Wiron, ecclesiam ejusdem villae a bonae memoriae Radulpho episcopo Wigorn. concedente capitulo suo, liberam et absolutam monasterio vestro concessam, cum decimis, oblationibus, et omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, molendinum unum, et unam hidam terrae ecclesiae adjacentem, et

aliam hidam quæ vocatur Drouresel, cum duobus maneriis, Morchelac et Edricheston, eamdem etiam libertatem vobis et hominibus vestris, in plano et bosco, in pratis, agnis, et aliis omnibus quæ dominus villæ de Wictonena et homines sui habent ; quæ omnia vobis ab omnibus consuetudinibus quæ ad dominum pertinent absoluta et libera sunt concessa ; in Almeleia decimam de dominio, et duodecim denarios de Roberto de la Herwiche, de uno assarto, et partem decimæ de salinis ; decimam de dominio de Berga ; decimam de terra Roberti filii Roaldi de dominio, et unum hospitem ; decimam domini de Seldesleies, cum hospite uno ; decimam domini de Werneiles, cum hospite uno, decimam domini de Eseleia ; decimas dominiorum de Habudeleia et de Lyda, et tres hospites ; decimam domini de Rumeleia ; decimam domini de Stantonæ ; decimam domini de Flammestre, cum hospite uno ; ecclesiam de Welcimestort, et totam decimam ; decimam domini de Currung. In episcopatu Norwicensi unum manerium, scilicet Wertheam, totum liberum et quietum ; in dominio vestro ecclesiam et decimam ejusdem villæ, et quidquid ad villam pertinet, scilicet unum molendinum et maras ibi adjacentes ad piscandum, et warennam : in Sturtona sexaginta acras terræ, et decimam domini de Picheam ; libertatem etiam et quietanciam concessas vobis a regibus, de omnibus consuetudinibus et querelis ad regem pertinentibus, scilicet de Sire, et de Hicundret, de Gel, et Darenegel, et de Hildegeld, et de Hunderedessen ; culturam quæ est sita juxta villam Castellionis, cum vinea juxta vivarium de Fontanis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, pasnagiis et pascuis, in bosco et plano, in agnis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat ; liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, dummodo causam non dederitis interdicto, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocæsano suscipietis episcopi. si quidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu diocæsani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, et eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepelire deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum illarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars sanioris consilii, secundum Deum et B. Benedicti regulam providerint eligendum. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, ac diocæsananorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum secularis ecclesiasticave persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove admonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem in eodem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen. Ego Gregorius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Johannes Sabinensis episcopus. Ego Jacobus Tusculan. episcopus. Ego Thomas titulo sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis. Ego Johannes titulo S. Praxedis presbyter cardinalis. Ego Sigebaldus titulo sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. Ego Stephanus sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti presbyter cardinalis. Ego Jacobus Prænestinus electus. Ego Rainerius sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconus cardinalis. Ego Romanus sancti Angeli diaconus cardinalis. Ego Ægidius sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis. Ego Ramulduus sancti Eustachii diaconus cardinalis. Ego Otho S. Nicolai in Carcere Tull. diaconus cardinalis. Datum Perusii per manum magistri Bartholomæi sanctæ Romanæ

ecclesie vicecancellarii, VII idus Novembris, indict. VIII, Incarnat. Dominicæ anno M° CC° XXXIII°, pontificatus vero domini Gregorii papæ VIII, anno octavo.